DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUESTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis quarto mensis Decembris, Anno Domini M. DCC. XLIX.

M. LAURENTIO FERRET, Doctore Medico, Præside.

An in acutis diæta è solis vegetantibus?

I.



QUI velociter, & cum ægrotantis periculo decurrunt morbi, vulgò acuti nuncupantur. Huc pariter referuntur, & vehementissimæ illæ febres quæ totum corpus miserè depascuntur, & illæ quæ, in aliquam corporis partem sæviente morbo, nunc pleuritidem, nunc peripneumoniam, nunc alios inflammatorios comitantur affectus. Cùm porrò tantam œconomiæ animali labem inferant, cùm immanibus adeò totam subvertant sanitatem symptomatibus, acrior contrà insurgit natura, & obstantia validiùs impellit repagula. Hinc nunquam aliàs naturæ cum morbo lucta vividior. In chronicis verò natura debilioribus armis instructa, materiæ morbificæ coctioni impar evadit, aut eam tantummodò lentis attenuat ictibus, quam in acutis, viribus in unam dimicationem collectis, eodem impetu proterit. Si in acutis quibusdam, ut soporosis affectibus, vivida hæc non deprehendas naturæ conamina, majus inde horum meritò deduxeris periculum. Sic, notante Hippocrate (*a*), apoplectici intrà septem dies intereunt, nisi febris eos prehenderit. Cùm ergò præcipuæ sint in sanandis acutis affectibus naturæ partes, satis patet quantum in viribus conservandis, quantum in accurato diætæ regimine operæ sit impendendum. Solâ scilicet diætâ plurimos morbos, eosque maximos vinci posse scribit Hippocrates. Ne te igitur Asclepiadis error decipiat, qui vires ægrorum fame sitique convellendas imperat, infirmiora viscera pleniori cibo posteà obruens. Tenuem semper & humidum febricitanti cuicumque, at ab initio pleniorem, in statu & exacerbationibus tenuissimum, in declinatione sensim adauctum victum, cum Hippocrate ægrotantibus exhibendum jube. Dum scilicet in exsuperante materiâ morbificâ debellandâ vires occupantur, de cibo detrahendum. Quò plùs virium, minùs morbi superest, eò plùs alendum, & contrà. In definiendâ tamen ciborum quantitate, morbi diuturnitatis, ægrorum ætatis, temperiei, & consuetudinis habenda ratio. Si verò rectam ciborum inquirenti quantitatem, tot sint observandæ cautiones, momenti sanè multò majoris, altiori que digna indagine qualitas in iisdem requisita. Ad cujus notitiam solus ille perveniet, qui priùs in hisce morbis statum corporis, & humorum diathesim sedulò perpenderit.

(*a*) 2. De morbis. Ic. aph. 51. Sect. VI.

II.

PUTREDINEM latè in omnibus morbis acutis dominari, paululùm sive eorum causas, sive etiam effectus perscrutando, facilè detexeris. Sæpe enim putridum miasma, à stagnanti in ventriculo saburrâ absorptum, omnem sanguinis massam infecit, & subitâ labe per omne corpus diffusâ, totam contaminavit œconomiam animalem. Interdum per aëra vagatur, & afflatu putrido urbibus sæpe & regionibus pestilentiales febres, & omne putridorum morborum genus invehit. At sæpiùs à calido humidoque

aëre retenta excrementa corporis insensilia, intrà propria vasa corrumpuntur, & brevì putredinem inducunt. Quot à tetrâ hâc lue morbi ex acutorum prosapiâ oriantur, satis constat. Sed plures adhuc tanquam effectus excipit putredo. Pluribus enim acutis febris insidet. In statu porrò naturali, motu vitæ necessario rapti humores, in alkalinam brevi tempore vergerent acrimoniam, nisi huic præcavendæ aptissimus, novus & blandus perpetuò suppeteret chylus. Hoc satis testantur è sanguinis massâ post diuturnum jejunium secreti humores, ut saliva, urina, &c. Si ergò vividior fiat humorum motus, intensior vita, major inde meritò pertimescenda alkalescentia. Hanc in acutorum plurimis adesse putredinis causam, satis probat fervens quo ægri plerumque deuruntur calor, nova putredinis ipsemet origo. Calorem præcipuum esse putrefactionis instrumentum, nemo non novit. Si de pravâ hâc humorum qualitate sanius adhuc ferre velis judicium, excreta consulas. Urina salsa & acerrima non dubias promptæ in alkalinam indolem proclivitatis notas præ se fert. A magnis quas in vesicâ procreat irritationibus, frequentior & parcior ipsius emissio. Eamdem bilis qualitatem demonstrant, Medico sæpissime negotium facessentes biliosi vomitus, biliosæ diarrhœæ. Major adhuc in eo posita est alkalescentiæ ratio, quòd tam acria excrementa, partibus erethismo constrictis, intrà sanguinis massam sæpenumerò detineantur. Quot porrò putredinis causæ! Quapropter nil mirum, si è cadaveribus hisce morbis peremptorum tetra adeò spargatur mephitis, plurimaque viscera putrefacta reperiantur. Nec te moveat, quòd sæpe in acutis inflammatoriam humorum incusent densitatem, quæ vi solidorum adauctâ, vividiori calore, tenuioribusque difflatis partibus, in causo præsertim, & fervidissimis æstivis febribus observatur. Ut enim inflammatio in gangrænam, sic inflammatoria sanguinis densitas in putredinem facilè desinit, ubi omnia vi vitæ intensiori ita compacta fuerint fluida, ut jam oriatur immeabilitas, & post rapidissimum motum, liquido quies & stagnatio contingat. Hanc verò summè metuendam, omni ope atque operâ prævertendam, satis indicat anxietas illa proximæ immeabilitatis prænuntia, quæ hisce morbis adeò familiaris, Hippocrate Boerhaavioque notantibus, deprehenditur. Medico itaque in his affectibus incumbit, pravam humorum qualitatem emendare, æstum compescere, benignèque viscositatem inflammatoriam resolvere. Diæta ergò acescens, refrigerans, & resolvens præ cæteris eligenda.

I I, I.

E Duplici tantùm regno suppeditatur alimenti materia, vegetabili scilicet & animali. Minerale condimentum largitur, non utile nutrimentum. Id in materiâ nutritiâ necessariò requiritur, ut in nostram possit alterari substantiam. Porrò perpetuò mutari, novas perpetuò formas induere, solis animantibus æquè ac vegetantibus concessum. Per longam annorum seriem immutata perstat mineralium compages. Solum in utroque hoc regno mutationum quarumcumque principium, pars mucosa. Sola ergò & nutritioni materia. Præ cæteris igitur nutritiâ pollent facultate, quæ copiosiorem mucaginem præbent, ut graminea, farinacea, quæ subdulci visciditate mucidum produnt. Quamvis mucida ex animali & vegetabili regno deprompta, alibili virtute prædita sint, ingens utrorumque diversitas. Quæ tamen omnis in majori minorive principiorum ea constituentium posita est alteratione. Quædam vegetantibus aluntur animantia, plantivora ideò dicta. Hæc aliis animalibus ferociori donatis indole carnivoris dictis, alimentum præbent. Omnia denique ab homine eruditâ ingluvie indiscriminatim vulgò usurpantur. Id omne cui nutriendi munus incumbit, plurimas anteà mutationes experiatur necesse est. Cùm ergò vegetantia præbeant animalibus alimentum, primum ab ipsis materiæ nutritiæ rudimentum mutuamur; animalia verò quæcumque mutationes vegetabilibus majores experta esse luculenter patet. Verùm quo plùs corpus quoddam alteratur, eò magis ipsius attenuantur moleculæ, eò laxior fit principiorum nexus, & ad sui destructionem, putredinem nempe, propiùs accedit. Magis ergò vegetantibus animantia ad alkalinam vergere acrimoniam, suadet ratio. Idem docet chemica analysis, è prioribus, quibusdam tamen exceptis, acida, è posterioribus alkalia volatilia, olea fœtidissima educens. Si de effectu mutationum quas subeunt vegetantia, priusquàm regnum ingrediantur animale, certior adhuc esse velis, semimutatum alimentum contemplare: plantivororum animalium lac inspice. In eo partim vege-

tabilem, partim animalem deteges indolem. Serum enim lactis vegetantium ritu ſponte aceſcit. Secùs autem de parte caſeosâ. Hæc enim chemico ſubjecta examini, non jam acidum ſpirat, ſed in alkalinam ſponte degener indolem, animale quid ſapit. Quod huc uſque docuit ratio, chemica comprobavit analyſis, quotidianis confirmatur experimentis. Carnes enim animalium in æſtivis caloribus, ſi præſertim ſimul adſit aëris humiditas, inteſtinum pati motum, brevìque putrido tabo diffluere, omnes norunt. Vegetantia contrà, ſi quædam exceperis, in oppoſitam potiùs vergunt acrimoniam. Hordei, avenæ, & ſimilium farinæ citò aceſcunt. Sed non eadem eſt omnibus animalibus ad putredinem proclivitas. Suus cuique generi ſervatur gradus. Sic carnivora, quæ jam ab alio ſubactus animali vegetantium ſuccus alit, principiis donari tenuioribus, ut rationi, ſic experimentis conſentaneum eſt. Hinc multò citiùs quàm plantivora quævis putredine diffluent. Inter carnivora, quæ minor exercuit motus, minùs putredinem concipere æquum eſt. Hinc qui ferinâ carne, curſuque exercitâ abutuntur, ſalibus acidiſque tanquam utili condimento cibum corrigere, brevìque proſternendum erigere coguntur appetitum. Nec mirum tamen, ſi qui iis immoderatè aluntur putridis morbis vivant obnoxii.

IV.

CUM tantâ per ſe in putredinem propenſione inclinent animalium carnes, quæ ex iis deſumuntur alimenta, novâ præſertim partium attenuatione per ignem conciliatâ, ut in juſculis habemus, omnia alkaleſcentiam affectent neceſſe eſt. Si verò in animali cui creduntur denuò tenuanda, vividior motus, calor intenſior, agentium organorum vis major & efficacia in novam concurrant alterationem inducendam, quantò facilior enaſcetur putredo. Liquet inde, quantum ſæpe intempeſtivè exhibita animantium juſcula, damnum in acutis improvisò inferant. Hinc Helmontius de diætâ cæteroquin ægrorum ſatis parum ſollicitus, febricitantibus animalium carnes & earum juſcula prohibet. *Lædunt namque febrientes, quia caro, ova, piſces, & juſcula facilè tum cadaverantur, ac minimè nutriunt* (*a*). Nil tale à vegetantibus metuendum; contrà verò medicinale præbent alimentum. Summæ humorum acredini, occurrit ipſorum aceſcentia. Denſitati humorum præter modum auctæ, vis leniter lubrica ſaponaceam præferens indolem, medetur ita efficaciter, ut nullum aliud meliùs auxilietur remedium, quàm quod ex diæteticis deſumitur. Summam præterea nutrientis materiæ vim humoribus ſuppeditant, quæ eò nutrit magis, quò magis acrimoniæ reſiſtit inconcuſſa. Hæc omnia rectâ partium ſe ſe mutuò contemperantium mediocritate, præ cæteris habet hordei priſana, quam commune omnibus acutis alimentum voluit Hippocrates. *Lentorem*, inquit (*b*), *habet lenem, & continuum, & ſuavem, & lubricum, & mediocriter humeſcentem, & ſi quid elui debet probè abluentem.* Si majus incutiat periculum, ſuis ſe ſe prodens nec dubiis indiciis putredo, habes unde eam efficaciùs retundas in aceto, cui primas in omnibus morbis quos dira afflavit putredo, rectè conceſſeris. Si putredini juncta ſe ſe obtulerit infelici connubio denſitas inflammatoria, quin tu cum antiquo medicinæ parente, rejectis officinalibus illis titulo quàm virtute inſignioribus medicamentis, ad oximel confugias. Saponaceum hoc ſimul & aceſcens è duobus vegetabilibus compoſitum, æſtum compeſcere, putredinem retundere, & inflammatorios nexus ſolvere, ante omnia aptum eſt. Quòd ſi verò extrà ipſam naturam medicamenta quærere nolueris, has ſimul junctas in horæis fructibus largietur ipſa virtutes. Lenis ipſis ſaponaceuſque ſuccus. Eminet etiam putredini adverſa aciditas. Hinc in æſtate familiares. Hinc in arentibus locis adeò vulgares. His fretus ratiociniis Boerhaavius, quantùmvis in ipſum inſurgerent ignari, tanto cum ſucceſſu, in putridis & inflammatoriis morbis, hoſce fructus uſurpabat. Quid jam tantis rationum momentis, appetitum ipſum ægrotantium placeat addere? Carnes certè horrent, & è carnibus magno labore extracta juſcula faſtidiunt. At hordei decocta, fructus horæos, & ſimilia avidè arripiunt.

(*a*) Helmont. de febrib. cap. 12. N°. 4. pag. 772.

(*b*) De rat. vict. in Ac.

V.

NOSTRAM opinionem quot comprobant argumenta! Ad hanc deffendendam multiplicis generis rationes, analogia, ſpontaneus ipſemet ægrorum appetitus videntur conſpirare. Quid plura? An tibi magis in hiſce rebus arrideret medicorum authoritas? Veterum & recentiorum ſcripta evolve. Huic ſemper ſententiæ ſuffragan-

tem videas eorum doctrinam. Sic primus inter veteres Hippocrates, solâ hordei ptisanâ, aut ipsius cremore vel succo utebatur. Sic etiam Sydenhamus, carnium jusculis prorsùs exulare jussis, hordeata, avenacea tantummodò exhibebat. Eadem hæc ubique commendat Boerhaavius. Cur ergò dubius hæres in tam felici omnium omnis ævi medicinæ principum consensu? Verùm, inquis, multa morantur & assensum cohibent. Plurimis nimirùm, quæ ciborum coctioni inserviunt, læsis functionibus, faciliùs assimilandum requiritur alimentum. Ad hoc nulla æquè instructa sunt ac animantia, utpotè quæ magis elaboratis constent moleculis, & ad nostram propiùs accedant naturam. Contrà verò vegetantia, & inter hæc præcipuè cerealia, hordeacea, avenacea, crassioribus conflata particulis, difficiliùs digerendum præbent alimentum. Hinc sæpissimè motu fermentationis eorum priùs attenuanda crassities, laxanda tenacitas. Hæc prætereà, cùm majori indigeant elaboratione, viribus ægri tam citò refocillandis imparia. Quæ etsi primâ facie aliquam rationis speciem præ se ferre videntur argumenta, facilè tamen convelli possunt. Subtilioribus & magis elaboratis constare moleculis animantia nedùm diffiteamur, de hoc ipso conquerimur. Hinc in acutis affectibus, in alkalinam tam facilè vergunt acrimoniam, pravam humorum adaugent diathesim, vividioresque passa mutationes, nutritioni nedùm inserviant, in excrementa facessunt putrescentia. A vegetantibus non fermentatis, & crudis assumptis, plurima, fateor, insurgerent incommoda. Verùm fermentationis vices rectè supplet ebullitio. Hujus enim ope crebrò sibi occursantes horum mucidorum moleculæ se se collidunt & atterunt. His multùm favent aquæ inter ipsorum partes incuneatio, aeris contenti vis, ipsius à calore increscens expansio. Hinc mucida attenuantur, unionisque soluto nexu, facili coctioni evadunt idonea. De hordeo ebullitionem passo sic loquitur Hippocrates (*a*). *In ventriculo non intumescit; cibus etiam imbecillus est, & facillimè concoquitur.* Cæterùm ægrorum temperies & consuetudo, quasdam in acutorum diætâ varietates afferre queunt. Sed cùm in genere, omnia vegetantium diætam comprobent eligendam, meritò inferimus.

(*a*) De rat. vict. in Ac.

Ergò in acutis diæta è solis vegetantibus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Ludovicus Liger.

M. Franciscus-David Herissant, è Regiâ Scientiarum Academiâ & Chirurgiæ Professor designatus.

M. Joannes-Baptista Boyer, Regis Consiliarius Medicus in supremo Senatu ac in Præfecturâ Parisiensi, Serenissimæ Cenomanensium Ducissæ Medicus ordinarius, Censor Regius, Regiæ Societatis Londinensis Socius, & utriûsque Pharmaciæ Professor designatus.

M. Joannes-Stephanus Guettard, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Censor Regius & Serenissimi Aurelianensium Ducis Botanicus.

M. Jacobus-Franciscus le Chat de la Sourdiere.

M. Bernardus de Jussieu, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinensis Socius & in Horto Regio Botanices Prodemonstrator.

M. Natalis-Maria de Gevigland.

M. Joannes-Franciscus Isez.

M. Joannes Astruc, Salubris Consilii Regii Socius, Regis Poloniarum Augusti, Electoris Saxoniæ, dum viveret, Medicus Primarius, Professor Regius & Scholarum Professor designatus.

Proponebat Parisiis ANNA-CLAUDIUS DORIGNY, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1749, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1749.